

riter dicuntur fastar hii fuerunt, primo venerabilis pater dominus bryniulphus scarensis, et discretus vir dominus bero longus canonicus eiusdem et Nobiles alii et discreti viri, dominus Magnus marineson et filius eius finwidus, holmgerus vlfsson, sweno olafsson. laurencius de Esliby, Thomas sigwidhæ son, Laurencius jonsson Nicholaus de Runxø, Ericus cristiarni, sikir spiælbodher de wanzø henikinus de Arboghæ, In Cuius testimonium vna cum sigillis venerabilium patrum dominorum Episcoporum predictorum sigillum meum presentibus est appensum Datum Arbugwn Anno domini, M°, CCC° III° in vigilia beati jacobi apostoli.

Sigillen skadade, finnas qvar.

1436.

1304 d. 28 Juli.

Alsnö.

Konung BIRGERS Stadfästelse på -ett emellan dess fader, Kon. Magnus samt Upsala Domkyrka skedt jordabyte, sedan Årkebiskopen nu återlemnad så mycket, som dertill utsedde Män, efter företagen pröfning, funnit att Kronan blifvit lidande på bytet.

A. 7. a.

BIRGERUS dei gracia sweorum gothorumque Rex vniuersis Presentes litteras inspecturis, salutem in domino sempiternam. Cum magnificus Princeps et dominus, Dominus Magnus bone memorie pater noster karissimus, ac venerabilis pater dominus Magnus bone memorie quondam electus ecclesie vpsalensis confirmatus, quandam inter se permutacionem prediorum fecissent, ex parte corone et ecclesie vpsalensis prout in litteris super hoc confectis plene patet, Nos, considerantes in huius prediorum permutacione, coronam aliquam esse lesam, Discretis viris, dominis Thýrgillo knuthzsson marskalco nostro, Andree preposito vpsalensi, et Birgero pætersson vplandiarum legifero consiliarijs nostris predilectis, nec non et fideli nostro Cristiarno prefecto stokholmensi, de consensu venerabilis patris, Domini Nicolai diuina miseracione, nunc Archiepiscopi vpsalensis, dedimus in mandatis, vt ipsi Quod equitatis esset et esse posset in permutacione predicta diligencius inuestigarent et ponderarent, deliberataque referrent, quibus visum est, quod ex parte ecclesie vpsalensis, assignari deberent corone, duodecim ore terre, quas quidem duodecim oras terre, videlicet vnam Marcham terre in stawi parrochie færingiæthunum, et dimidiam Marcham terre in Thorp husæby broo, Jdem dominus Archiepiscopus vpsalensis, secundum predictorum virorum assercionem et estimacionem, tradidit et assignauit, Nos igitur supplicacionem predictam acceptantes, sepredictam prediorum permutacionem, inter supradictos dominos, patrem nostrum et Magnum electum vpsalensem factam, secundum formam in litteris super hiis confectis contentam, Râtifi-

camus et auctoritate regia confirmamus, Prohibentes, et sub optentu graciae nostre districtius inhibentes, ne quis, dictam ecclesiam vpsalensem vel eius prelatum, pretextu sepedicte permutacionis in aliquo molestare, grauare vel impetere presumat, Prout vindictam regiam voluerit euitare. In premissorum testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum, Datum apud alsnø, Anno Domini .M°. CCC°. Quarto. Quinto . kalend. Augusti.

Sigillet finnes kvar, men mycket skadadt.

1437.

1304 d. 29 Juli.

Konung BIRGERS Bref om befrielse för Upsala Domkyrkogods från skatter och utlagor till Kongl. Maj:t och Kronan, med undantag af några vissa fall.

A. 6. a.

BIRGERUS dei gracia sweorum gothorumque rex, Vniuersis presentes litteras inspecturis, Salutem in domino sempiternam, Quamuis generaliter diximus statuendum, quod nullus incola regni nostri, super exhibicionibus, seu solucionibus quibuscumque, nobis annuatim debitis, liber resideat, vel exemptus, nisi cum dextrario seruierit phalerato, Cum ecclesijs tamen, et earum personis gratiam facere volentes ampliolem, predia, possessiones, seu bona omnia, et singula ad fabricam ecclesie vpsalensis, cum villicis, colonis, familijs, et personis ceteris in eisdem bonis commorantibus spectancia, sub nostram recepimus proteccionem, et tutele gratiam specialem, Reddentes bona predicta, cum personis vt premissum est, ab omnibus iuribus, et causis regijs, Inposicionibus, solucionibus, ac exhibicionibus, videlicet, skipuist, lethunxlamæ, spannamalæ, Ættegiæld, et Thinglamæ, necnon alijs omnibus, et singulis, nomini nostro, vel iuri debitis, libera penitus et exempta, Si vero expedicionem nostram euocari, vel subsidium a toto regno generaliter requiri, seu corone iuriammentum, aut iudicium nostrum infringi, vel quempiam eorum in occultis homicidijs, moordh dictis, aut furtis conuinci contigerit, hoc ad ordinacionem nostram et fiscum regium, volumus specialiter pertinere, Prohibemus igitur firmiter et districte, ne quis predia, seu bona supradicta, vel personas in eis commorantes, contra premissam tuicionem nostram, et libertatem, aliquatenus inpetere, grauare, seu molestare presumat, Sicut gratiam nostram diligere voluerit inoffensam, Datum, anno dominij .M°. CCCIIII. In festo beati Olauis Regis et martyris.

Sigillet bortfallet från den ur brefvet klippta remsan.